

privationem juris acquisiti, et aliqualem solutionem matrimonii, quæ profecto facile admitti nequit absque ulla culpa. Igitur ignorantia ubi adsit merito excusat ab impedimento cognationis. Quare in sensu capitis non contrahitur impedimentum cognationis, sive sciens sive ignorans, parens filium suum ex sacro fonte suscepit.

14. Quæritur quinam patrini esse possint in Baptismate et in Confirmatione.

Tridentinum voluit ut unus esset patrinus, vel vir, vel mulier, aut ad summum unus et una suscipientium officio fungerentur. Unus vero vel bini contrahunt impedimentum, dummodo 1^o. dum ipsum sacramentum confertur, non autem dum suppleantur cæremoniæ, cum animo obeundi officium susceptoris, assistant, et physice teneant parvulum baptizandum, vel confirmandum, aut saltem immediate illum recipiant e manibus sacerdotis. *S. Congreg. in 'Bobiensi' 20. Decemb. 1653. Giralddi ad cap. 3. h. t.* Unde ad contrahendam cognationem requiritur animus et tactus. Hinc qui servitii causa vel commoditatis tenent vel tangunt parvulum non contrahunt cognationem spiritualem: ex. gr. obstetrix.

15. 2^o. Ut a parentibus vel in eorum defectu a parochio patrini fuerint designati. Hinc si plures susceperint puerum, illi soli contrahunt impedimentum, qui ut supra designati fuerint, qui autem designati non fuerint, nullatenus contrahunt impedimentum.

Concilium Tridentinum in loco cit. ait: 'Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt'. Unde non amplius dantur patrini catechismi, id est qui instruebant catechumenum in fide.

16. Quod si contra dispositionem Concilii Tridentini, plures quam duos susceptores parentes proponant, et Parochus admittat, omnes cognationem contrahunt. Nam Trid. hanc cognationem non excludit. *Giralddi ad c. 3. h. t.*

17. Ut autem quis patrinus esse possit, requiritur ut in baptismate suscipiens sit baptizatus, in confirmatione vero ut sit ipse confirmatus. Hanc conditionem Doctores deducunt ex *can. 102. Distinct. 4. De consecr.*, in quo statuitur: 'In baptismate vel chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.' Huic canoni adhæret Pontificale Romanum *p. 1. t. 1. de confirm.* nec non resolutio S. Congreg. Con-

cilii relata a Giralddi, *Jus Pontificium p. 1. sect. 710*; in qua resolutione expresse traditur dicta conditio.

18. In officio susceptorum consuetudo est, ut per procuratorem officium illud compleatur.

Quæritur utrum in casu, et a quo contrahatur cognatio spiritualis.

Sunt qui dicunt contrahi a procuratore, quia ipse revera tangit et levat puerulum.

Sunt qui dicunt a mandante contrahi, quia procurator nomine mandantis agit.

Sunt qui dicunt ab utroque quia uterque partem agit in susceptione.

Sunt qui dicunt a nemine contrahi, quia lex est odiosa ob impedimentum quod inducit, nec revera sive in mandante, sive in procuratore verificantur plene conditiones legis.

Probabilior sententia est quæ tenet a mandante solummodo contrahi impedimentum.

19. Nam quod a procuratore non contrahatur patet ex pluribus decisionibus S. Congreg. relatis a Giralddi ad c. 3. h. t. n. 7. Quoad vero mandantem animadvertimus, quando adsunt unus vel bini susceptores adsignati, ut supra, certum est induci cognationem spiritualem. Instituta autem comparatione inter mandantem et procuratorem, prævalet ratio quæ pro mandante militat. Nam ipse revera tangere per alium et suscipere puerum dicendus est, quemadmodum non procurator sed mandans contrahit matrimonium, quando mandans procuratori commisit negotium contrahendi. Hinc in praxi saltem ad cautelam, mandans si velit matrimonium contrahere, cum baptizato aut confirmato ejusve parentibus, dispensationem expetere debet.

TITULUS XII.

De cognatione legali.

1. *Adoptio* inducta est in solamen illorum, qui filiis orbantur, *l. 1. ff. De Adoptionibus*. *Adoptio* definiri solet 'Actus legitimus, quo qui filius non est, aut nepos, in filium proprium vel nepotem assumitur'.

2. *Adoptio* in Jure Romano distinguitur in *perfectam*, quæ etiam *arrogatio* dicitur, et in *imperfectam*, quæ simpliciter *aroptio* appellatur.

Arrogatio ea est, qua persona *extranea* et *sui juris* assumitur in filium aut nepotem, ita ut transeat in familiam et potestatem adoptantis, perinde ac si fuisset filius aut nepos legitimus et naturalis. § 3. *Instit. De Adop.* Adoptio hujusmodi dispositione legum Romanarum fieri debebat per *rescriptum Principis*.

3. Imperfecta, idest simplex adoptio, ea est, qua persona extranea et nondum sui juris, idest constituta sub sui patris naturalis vel avi potestate, assumitur in filium aut nepotem adoptantis, ita ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis, sed perseveret sub potestate patris, vel avi sui.

Filius vel nepos ita adoptatus, non fit *necessarius* hæres adoptantis, quare in testamento *preteriri* potest. Succedit tamen ab intestato. § 2. *'Sed et hodie' Inst. De Adop.* Adoptio hujusmodi, jure romano fiebat per *officium judicis competentis*.

4. Ecclesia leges civiles commendavit in hac re, easque fecit canonicas, et recognovit *cognitionem legalem* ex adoptione, tamquam impedimentum dirimens matrimonium. *Can. 1. caus. 30. quæst. 3.* qui canon exceptus est ex Epistola Nicolai I. ad consulta Bulgarorum. Jure autem meritoque Ecclesia canonizavit dispositionem legis civilis, qua per adoptionem fictione juris censetur inducta propinquitas personarum.

5. Nam auctoritas adoptantis, relativa dependentia adoptati in novam familiam sponte sua secumferunt conjunctionem animorum, et reverentiam quasi filialem quæ non bene cum matrimonio conciliantur. Quoadusque enim inter aliquas personas dominatur amor exurgens ex relatione propinquitatis, vel mutue observantiae, amor concupiscentiæ excluditur. Quare status conjugalis rationabiliter componi non potest cum relatione, quæ inter personas, vinculo cognitionis legalis obstrictas, viget.

6. Accedit ratio cujusdam publicæ honestatis, quæ exigit ut matrimonium prohibeatur inter personas cognitione legali conjunctas. Publica enim honestas exigit ut relatio proximitatis, per imitationem naturæ inducta rite custodiatur, et removeatur spes matrimonii, ne amor concupiscentiæ excitetur et foveatur inter easdem personas, et ne boni mores publicum detrimentum patiantur.

7. Quærunt Doctores, utrum adoptio perfecta tantum, idest arrogatio, vel etiam simplex adoptio dirimat matrimonium.

Glossa finalis in cap. un. h. t., et Panormitanus in idem cap. n. 5., et Pontius *de matrimonio lib. 7. cap. 42.*, aliique docent impedimentum oriri ex *utraque* adoptione.

Verum Innocentius in idem cap. un. h. t., Sanchez *De matrimonio disput. 69. n. 9.* aliique Doctores tradunt ex *sola* arrogatione impedimentum oriri. Benedictus XIV. *De Syn. lib. 9. c. 10. n. 5.* insolutam quæstionem reliquit, et in praxi quæstiones resolvendas esse tradit, juxta leges romanas. Verum videtur sola arrogatio gignere impedimentum dirimens. Nam per adoptionem simplicem filius adoptatus sub potestate patris naturalis remanet, nec transit in familiam adoptantis. Ideoque ex adoptione simplici non gignitur necessitudo et dependentia inter personas, neque enascitur respectus honestatis et reverentiæ.

8. Quæritur quid dicendum de adoptionibus quæ juxta recentiores legislationes perficiuntur.

Profecto si agatur de aliqua legislatione, quæ jus romanum quoad adoptionem retineat, dubitari nequit per adoptionem contrahi cognitionem legalem.

At communiter in novis codicibus non omnia servantur, quæ a jure romano statuta sunt, ad arrogationem perficiendam. Ita ex. gr. in codice Gallico artic. 348. decernitur *'Adoptatus manebit in familia naturali, et conservabit omnia sua jura'*. Verum aliquid amplius in adoptione a novis legibus inductum est, quod a romanis legibus in adoptione imperfecta non exigebatur. Quare dici potest, quodammodo novas formas adoptionis fuisse in hodiernis legislationibus receptas.

9. Quibus positis Doctores in duas abeunt sententias. Canonistæ Gallici, André in opere: *Cours alphabetique de droit canon.* et Cobriere in opere *Droit privé, administratif et public*, negativam sententiam quoad adoptionem in gallica legislatione recognitam, propugnarunt, eo quia adoptio hæc non refert omnia arrogationis antiquæ elementa.

10. Alii autem cum Carrier et Bouvier affirmant. Inter hos adnumeratur clarissimus De Angelis. Affirmativæ sententiæ nos quoque ob suas rationes subscribimus, 1º. quia Ecclesia legem non tulit qua impedimentum cognitionis legalis aboleretur; non obstante imo immutatione in adoptione a novis legibus inducta, impedimentum hoc recensetur adhuc inter quatuordecim impedimenta diri-

mentia matrimonium. 2^o. Quia responsiones authenticæ prodierunt S. Sedis, quæ nostram quæstionem in sensu affirmativo resolvit.

11. Sane S. Congregatio Universalis Inquisitionis interrogata 'An adoptio celebrata in forma præscripta a codice civili Regni Neapolitani producat necne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium?' die 23. Februarii 1853 respondit 'Affirmative'. Sacra autem Pœnitentiaria interrogata a P. Lasserre Vicario Generali Petrocorensi per sequens dubium 'Cum in Regno Galliæ adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quæritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat' respondit 'Affirmative si res sit de adoptione legitime inita' (Tomo XII. n. 20. Actorum S. Pœnitentiariæ.)

Igitur dummodo lex civilis constituat formam adoptionis, ac juxta eam adoptio fiat, cognatio legalis contrahitur. Legitimitas enim adoptionis a lege civili determinatur. Hinc nil mirum si S. Congregatio Supremæ Inquisitionis die 16. Aprilis 1761 edixerit, non oriri impedimentum cognationis legalis ex more in Bulgaria recepto, juxta quem citra dispositionem legis civilis paterfamilias aliquando filios sibi adoptat absque ulla juris solemnitate.

12. Accedit praxis S. Pœnitentiariæ, quæ, uti patet ex Actis, quæ in distinctis voluminibus asservantur, de facto impedimenti cognationis legalis existentiam in Galliis aliisque nationibus admittit, et super illa si causæ canonicæ adsint dispensat.

Ratio autem cur Ecclesia recipiat formas actuales adoptionis hæc esse videtur. Quia videlicet quemadmodum ob temporum mutatas circumstantias imminutus est rigor patriæ potestatis et relativæ dependentiæ, ita etiam rigor antiquæ arrogationis, quæ imitabatur patriæ potestatis effectus, imminui debuit. Posita autem hujusmodi imminutione a novis legibus peracta, nihilominus per adoptionem inducitur conditio personarum et relatio inter ipsas, ex qua proximitas et conjunctio animorum enascitur, temporum exigentiis accommodata, vi cujus maritalis unio inter personas has non videtur publicæ honestati et bonis moribus conformis.

13. Cognatio legalis, ubi enascitur, imitatur 1^o. paternitatem et filiationem, 2^o. fraternitatem, 3^o. affinitatem.

Ex primo capite habetur linea recta cognationis legalis, si consideretur adoptans in ordine ad adoptatum ejusque filios, nepotes etc. § 1. Institut. De Nupt. et l. 55 ff. de ritu Nupt. Fraternitas locum habet in adoptione inter adoptatum filium, vel filiam adop-

tatam liberosque naturales et legitimos patris adoptantis, sub patria potestate patris adoptantis adhuc manentes. Unde fraternitas legalis non enascitur inter ipsos adoptivos, si non unus vel una, sed plures ab eodem adoptentur. Pariter eadem fraternitas legalis non enascitur inter filium vel filiam adoptivam, et liberos illegitimos naturales. Illegitimi enim juridice non subsunt patriæ potestati. Affinitas autem verificatur inter adoptatum et uxorem adoptantis, et inter adoptantem et uxorem adoptati.

Inter istas omnes personas, quæ ligantur vinculo paternitatis et filiationis, fraternitatis et affinitatis, consistere non potest matrimonium ob impedimentum dirimens cognationis legalis, a jure civili propositum, et ab Ecclesia recognitum.

14. Dixi inter omnes istas personas. Nam quamvis in *can. 1. caus. 30. q. 3. et cap. un. h. t.* prohibitio matrimonii solum reperitur inter adoptantem et adoptatam, et inter filiam vel filium legitimum naturalem adoptantis, et filium vel filiam adoptatam tamen sequimur in jure canonico extensionem cognationis legalis supra expositam, a jure civili retentam. Nam leges civiles in hac materia generaliter a sacris canonibus approbantur. Unde tuto cum Panormitano in rubr. h. t. n. 1. invocari potest principium juridicum ecclesiasticæ legislationis expressum in cap. 1. 'De novi operis nunciatione' scilicet 'quod deest in jure canonico suppletur per dispositionem juris civilis, quando utrumque jus tractet de eadem materia'.

15. Quæritur utrum impedimentum cognationis legalis sit perpetuum nec ne?

Si sermo sit de paternitate et filiatione legali, impedimentum ex eisdem derivans est perpetuum, adeo ut etiam soluta quomodocumque adoptione, non possit adoptans ducere in uxorem, quam uti filiam vel neptem adoptivam sub sua habuit potestate (l. 55. q. 3. De ritu Nupt., et *can. 1. caus. 30. q. 3.*). Videtur enim primitiva relatio filiationis et paternitatis legalis virtute sua perseverare, etiam post solutionem adoptionis, nec bene componi cum matrimonio.

16. Idem dicendum est de cognatione legali orta ex affinitate. Idest inter adoptantem et uxorem adoptati, et inter adoptatum et uxorem adoptantis impedimentum dirimens est perpetuum, ita ut, etiam soluta adoptione, sive per mortem, sive per emancipationem,

nihilominus impedimentum perseveret. Textus expressus legitur in *l. 14 ff. De ritu Nupt.*, ab omnibus recepta.

17. Quod si vero sermo sit de impedimento orto ex fraternitate legali, idest de cognatione legali in linea *transversa*, hoc impedimentum tamdiu perseverat, quamdiu durat adoptio, ita nempe ut soluta per mortem vel per emancipationem adoptione, cesset impedimentum, et filius qui fuerat adoptivus, possit uxorem ducere filiam naturalem et legitimam adoptantis.

Pariter soluta patria potestate liberorum legitimorum naturalium adoptantis, potest matrimonium consistere inter eos, et filium vel filiam adoptatam. Hæc omnia inferuntur ex § 2. *Instit. De Nupt.*, et *l. 12 ff. De Ritu Nupt.*, necnon ex *cap. un. h. t.*, quod sese refert ad dispositiones juris civilis.

18. Ultimo loco animadvertendum est, cognationem legalem exhibere impedimentum præveniens actum celebrationis matrimonii. Nam si post contractum matrimonium superveniat cognatio legalis, hæc non interrumpit jura conjugalia: ex. gr. si quis puellam accipiat in uxorem, et deinde adoptet in filium puta patrem puellæ ipsius, nullam jacturam patiuntur jura conjugalia, quoad redditonem et quoad petitionem debiti conjugalis; quia canones nihil dicunt de cognatione legali superveniente post matrimonii celebrationem.

TITULUS XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

1. Postquam B. Raymundus de cognatione spirituali egerit, et de legali, pertractare incipit de cognatione naturali seu carnali, quæ complectitur tum *affinitatem*, tum *consanguinitatem*. Tractationem vero suam ab affinitate aggreditur.

2. Affinitas est '*propinquitatis personarum inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa, orta ex copula carnali completa*'.

Affinitas hæc potest oriri ex *legitima* carnali conjunctione in matrimonio, vel ex copula *illicita*.

Rursus copula illicita potest esse vel *adulterina*, vel *incestuosa*, vel simpliciter *fornicaria*, prout locum habet inter personas

vinculo matrimoniali ligatas, vel ligatas impedimento ad contrahendum matrimonium, vel prorsus liberas.

3. Titulus prout inscribitur, proprie agit de affinitate ex copula adulterina vel incestuosa. Ut autem plenior sit tractatio, etiam de tertia affinitate agimus, atque in particulares casus materiam dispescimus. Et 1º. posita copula quocumque titulo illicita inter duas personas, enascitur affinitas inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Commixtio enim sanguinis intercedit, vi cujus propinquitatis quædam personarum inducitur.

4. Jure antiquo juxta can. 7. caus. 35. q. 3. correctum ab Innocentio III. in Concilio Later. IV. cujus dispositio legitur in *cap. 8. 'De consang. et affinit.'* hæc affinitas ex illicita copula, quemadmodum affinitas ex copula licita, matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum inclusive.

5. At Concilium Tridentinum in *cap. 4. sess. 24. De reform. matrimonii*, impedimentum affinitatis ex copula illicita coarctavit usque ad secundum gradum inclusive. Hinc posita copula illicita, vir valide contrahit matrimonium cum consanguineis mulieris usque ad secundum gradum exclusive, et viceversa mulier cum consanguineis viri.

A fortiori autem inter designatas personas contrahi valide nequeunt sponsalia de futuro, quia sponsalia vinculum minus forte producunt præ vinculo conjugii; et alia præterea valet ratio, quia valide promitti non potest matrimonium, quod prohibetur contrahi ob impedimentum dirimens.

6. 2º. Secundus casus est de copula, quæ post inita sponsalia habeatur ab alterutro ex sponsis cum consanguineis alterius intra secundum gradum existentibus. Juxta *cap. 2. h. t.* ob inductum impedimentum affinitatis, sponsalia amplius urgeri nequeunt. Quare qui copulam illicitam habuit cum consanguinea sponsæ suæ in primo gradu ex. gr. cum sorore, matrimonium nequit contrahere cum sponsa, quia obstat affinitas, neque potest cum ejus consanguinea, quam cognovit, quia obstat impedimentum publicæ honestatis.

7. 3º. Tertius casus est copulæ illicitæ habitæ post contractum matrimonium inter unum conjugem et consanguineam personam alterius. Effectus hujus copulæ adulterinæ est, ut pars delinquens contrahat affinitatem cum conjugem sua. Affinitas autem hæc non imminuit jura conjugis innocentis. Hinc conjux innocens potest petere conjugale debitum, et pars delinquens tenetur illud reddere.

Sed pœna adulterini concubitus tota est contra delinquentem conjugem. Pœna autem hæc juxta canones duplex est. Prima pœna est ut delinquens conjux amittat jus petendi debitum conjugale; cap. 1. h. t.

8. Secunda pœna est ut idem conjux delinquens privetur jure contrahendi matrimonium cum alia qualibet persona, etiam post solutum matrimonium quo actu ligatur.

Quare impedimentum inductum fuit ita, ut delinquenti conjugi absolute interdiceretur novum matrimonium. Capp. 1. 2. et 8. h. t.

Verum ipsa Glossa ad cap. 1. h. t. v. *copulare* notavit: 'Si tamen contraherent matrimonium tenet.' Unde impedimentum erat solummodo impediens. Sed præterea animadvertunt Doctores, hanc secundam pœnam impedimenti prohibentis novum matrimonium in desuetudinem abiisse, nec necesse est petere dispensationem quando post solutum matrimonium ob mortem conjugis innocentis pars, quæ deliquit, novum conjugium inire cupiat cum persona non consanguinea conjugis innocentis præmortui.

9. At cum pœna hæc scripta sit in corpore juris, potest urgeri et injungi tamquam conditio in dispensatione quæ datur ad petendum debitum conjugale. Scilicet in S. Pœnitentiaria et in Dataria Apostolica mos invaluerat, ut quando exposceretur dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad petendum debitum conjugale, hæc dispensatio concederetur cum onere non transeundi ad alias nuptias, post solutum actuale matrimonium.

Verum praxis S. Sedis in hac re mutata est, et non amplius præfatum onus imponitur.

Relate autem ad primam pœnam adulterinæ copulæ unius conjugis cum persona consanguinea alterius conjugis, idest relate ad impedimentum superveniens affinitatis, post contractum matrimonium, Doctores referunt resolutionem S. Congregationis Concilii probatam a Gregorio XIII., qua declaratum est, contrahi hoc impedimentum a conjuge delinquente solummodo, quando copulam carnalem habuerit cum persona consanguinea alterius conjugis in primo gradu, vel in secundo gradu consanguinitatis, non autem in ulteriori. Ratio est quia affinitas in hypothesis considerata est, ceu affinitas orta ex copula illicita, in qua Concilium Tridentinum sustulit tertium et quartum gradum.

Tandem hæc fieri potest animadversio. Dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad debitum conjugale petendum, rigore loquendo poscenda esset a S. Pœnitentiaria, si crimen copulæ sit occultum, si crimen sit publicum, ab Apostolica Dataria. Attamen providere solet S. Pœnitentiaria etiam in casibus impedimenti publici.

TITULUS XIV.

De consanguinitate et affinitate.

I. De consanguinitate.

1. Consanguinitas in jure nostro cum aliqua differentia accipitur ac sumitur a jure civili. Nam jure civili consanguinitas potius complectitur cognatos, idest masculos descendentes ex masculis, necnon fœminas quæ per masculos nobis junguntur vinculo sanguinis. Jus canonicum sub nomine consanguinitatis complectitur cognationem, quæ ex quacumque participatione sanguinis, sive per masculum sive per fœminam derivat.

2. Consanguinitas ergo definiri potest '*Vinculum personarum, quæ ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo per carnalem generationem descendunt.* Additur '*eoque propinquo*', ut excludatur stipes remotus, secus enim consanguinitas nimium posset extendi, immo omnes homines possent consanguinei appellari, quia ab eodem Noe, vel Adam originem ducunt.

In consanguinitate considerantur *Linea, gradus, stipes.*

3. Stipes est persona, sive masculus sive fœmina, a qua velut a proximiori principio communi descendunt personæ de quarum consanguinitate quæritur.

4. Gradus est distantia unius personæ ab alia in ordine ad consanguinitatem. — Linea est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes.

Linea alia est *recta*, alia *obliqua seu transversalis*. Linea recta est successio personarum, quarum una ab altera descendit, idest quarum unaquæque est genita relate ad personam immediate superiorem, est vero generans quoad personam immediate inferiorem.

5. Hæc vero linea dicitur *descendentalis*, vel *ascendentalis*, prout considerentur personæ a Titio descendentes, ex. gr. filius, nepos,